



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 10 Canis & porci fabula macilentis & pinguibus accommodata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

multos; neque in gehenna quisquam torquebitur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi, quia epulati sunt quotidie splendide.

§. X.

Canis & porci fabula macilentis & pinguibus accommodata,

Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdium ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incurfus pugnare; sustinere æstum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix buccam panis à pastore accipiebat; & plerumque, vbi etiam bestiarum dentibus faucibus oues domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod roderet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, (si tamen non corium potiùs) totus ocio & sagina pinguescebat; interdium semper in cœno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præforibus excubandum, & contra fures indefinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hylactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, vt qui setosum, fœdum;

foedum, otiosum, pigrum atque inutile animal, pinguissimis offis, delicatè nutriret, fidelissimo autem custodi domus, ossa duntaxat obijceret, & indurata panis frustra, quæ alius nemo comesse vellet. Huic colonus, ne succēseas, inquit, mi fidelis, sed diem crastinum expecta, & videbis hunc tam obesum porcum in cædem faginatam, cum tibi macilento viuere licebit. Altero die cum canis videret lanionem cultro, primùm in jugulo porci, mox etiam in ventre & vinctissimo lardo, totisque intestinis cruentissimè ludentem, subiectaque sartagine sanguinis riuos excipientem, necquicquam bestia miserabilissimè grunniente, dixit: Si hic faginæ finis est, nolo faginari; magis mihi profunt ossa & mucidus panis. Non longo epimythio opus est huic Apologo. Audite omnes pingues terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum. Quo modo autem iudicat? Homines cum irascuntur, subducunt seruis, aut filijs cibum; Deus iratus nouit cibum dare abundantiozem. Mirabile exemplum Israelitarum, qui in iram excitauerunt Excelsum in iniquo, & tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escam animabus suis. Et male

Psal. 21.

30.

Ezech.

34. 20.

Psal. 77.

17.

locu-

locuti sunt de Deo. Ideò audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob; & ira ascendit in Israël. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escà eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum. Vides, quid iratus faciat Deus? pingues finit fieri homines, sed pingues occidit; dum parcat ijs, qui vix ossibus hærent. De tali porco occiso legimus & alibi, cuius ipse Samuel egit lanionem: Dixitque Samuel: *Adducite mihi Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguisissimus & tremens. Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgala.* Ne dubitate, vitiosè pingues, ex adipe vestro æternus ignis plus alimenti, est habiturus. Benè confidite, macilenti jeuniis; plus & valetudinis & virtutis habet, qui sic minus habet in cute pinguedinis.

§. XI:

Divitijs pretiosior paupertas.

Qui homini dixit: *sine iudicio, nihil facias grane,* an ipse sine iudicio patietur amicos suos

i. Reg. 15.
32.

Ecl. 33.
30.